

*expansum super Thabor, et victimas declinastis in profundum: et paulo infra subdit: In gregibus et in armentis suis vadent ad quærendum Dominum, et non invenient: ablati sunt ab eis. Quia videlicet ipsi gregem abstulerunt a Domino, pravo suo exemplo*

V. Communitas hujus vitii et frequentia. Hinc enim minus grave videtur vulgo inebriari: sicut prædari militibus, quia id ipsi communiter solent, licet sciant deprehensos passim suspendi. Multi sat superque purgatos se existimant, si dicant se non esse solos, qui huic vitio sunt obnoxii. Sed isti vehementer errant, non enim inde sequitur, minus grave hoc peccatum esse: sed ipsos cum plurimis (non solos) ituros ad infernum; et propterea inferni os dilatandum esse, ut plures simul devoret. Hoc omnino est, quod dixit Deus per Isaiam, c. V. *Væ, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. Et paulo post subjungit: Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino, et descendunt fortes ejus et populus ejus et sublimes gloriosique ejus ad eum.* Si unus fur multos prodat complices, non ideo ipse liberatur; sed plura patibula eriguntur, ut suspendantur omnes. Quid vero? Num leve peccatum est ebrietas? Quid ergo si volunt totæ ebriosis interminata a Spiritu sancto? Præter id ab Isaiâ scriptum et jam auditum, ibidem rursus legimus: *Væ, qui potentes estis ad bibendum vinum et viri fortes ad miscendam ebrietatem!* Iterum Proverb. XX. *Cui vax, cujus patri vax? Cui rixax? Cui fovax? Cui sine causa vulnera? Cui suffusio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis.* Scimus autem in ss. litteris vax, gehennam significare. Et qui illud apostoli, 1. Cor. VI. *Neque ebriosis regnum Dei possidebunt?* Num porro tam insipientes erimus, ut credamus Deum, ob leve tantum peccatum homines cælo excludere et mittere in ignem æternum? Audi, quid vener. Beda scribit, lib. IV. hist. Angl. c. XV. « Novi ipse fratrem, inquit, quem utinam non noscerem, cujus etiam nomen, si hoc aliquid prodesset, dicere possem, positum in monasterio nobili, sed ignobiliter viventem. Serviebat enim multum ebrietati, et cæteris vitæ remissioris illecebris. Percussus itaque languore, atque ad extrema perductus vocavit fratres, et multum mœrens, ac damnato similis cœpit narrare, quia videret inferos apertos, et Satanam immersum in profundum tartari, Caipham quoque cum cæteris, qui occiderunt Dominum juxta eum flammis adultricibus contraditum. In quorum vicinia, inquit, heu misero mihi locum aspicio æternæ perditionis esse præparatum!

Audientes hæc fratres cœperunt exhortari diligenter, ut vel tunc positus adhuc in corpore pœnitentiam ageret. Respondebat ille desperans: Non est mihi modo tempus vitam emendandi, cum ipse viderem judicium meum jam esse completum. Talia dicens sine viatico salutis obiit: et corpus ejus in ultimis monasterii locis humatum: neque aliquis pro eo missas facere, vel psalmos cantare, vel saltem orare præsumebat. Factum est hoc nuper in provincia Barniciorum, ac longe lateque diffamatum multosque ad agendam, non differendam scelerum suorum pœnitentiam provocavit. » Quæ cum ita sint, conemur, o Germani, et pro viribus conemur, ut infamiam nobis adpersam et toti orbi notam aliquando deleamus. Cur enim hoc non possimus, quod aliæ nationes possunt et observant, licet vino longe magis abundant quam Germani? Romani certe gentiles, ut ebrietatem a se arcerent, apertis ostiis cœnabant et bibebant, ut ita pudoris et modestiæ perpetuo memores essent. Ad hæc laneis et lineis cingulis tempora et frontem cingebant, dum biberent; ne vapores caput obruerent et perturbarent: item calvariam hominis versatilem inter epulas apponebant, ut morituros se cogitarent, apud auct. antiquit. Rom. lib. V. c. XXVIII. Faciamus hæc etiam nos Christiani, ne ab ethnicis superemur. Bibamus ita imprimis, ut Deum noverimus inspectorem, necnon honestos viros, quibus vitium hoc valde displicet: deinde, cingamus tempora vinculo temperantiæ; assuescamus sobrietati: denique, memores simus mortis, quod videlicet non solum improvisa adveniat ebriosis et potatoribus, sed plerumque etiam immatura. Pervulgatus ille potator, qui propter est, est, est in Italia mortuus est, (utinam non dicendum, damnatus est) multos habet socios. Plures occidit crapula quam gladius. Mortem igitur cogitemus et inferni puteum, qui paratus est ebriosis. « Quicumque ebriosus, inquit S. August. serm. CCXXXI. de temp. pœnitentiam de ipsa (ebrietate) non egerit, sed usque ad mortem suam in ipsa ebrietate permanserit, in æternum profecto peribit. »

## CONCIO V.

MUNDI AMATORES NUNQUAM SATIARI, OSTENDITUR.

I. Non satiantur superbi. — II. Non avari. — III. Non luxuriosi. — IV. Non iracundi. — V. Non invidi. — VI. Non gulosi.

## THEMA.

*Unde istos quis poterit hic saturare panibus in solitudine?* Marci VIII.

Sanctus Bernardus, in declamatione super id:

« Ecce nos relinquimus omnia, » declaraturus quam insatiabilis sit fames mundi amatorum, ita scribit: « Vidi ego aliquando quinque viros, quidni phreneticos arbitrer? Primus, siquidem buccis marinam masticabat arenam: secundus, sulphureo adstans lacui exhalantem deterrimum fœtidissimumque gestiebat haurire vaporem: porro tertius, fornaci incubans vehementer accensæ, micantes scintillas hianibus excipere faucibus lætabatur: quartus, supra pinnaculum templi residens levioris auræ spiritum aperto attrahebat ore; et si quo minus influere videretur, flabello sibi ventum ipse ciebat, ac si totum speraret aerem deglutire: quintus, seorsim positus ridebat cæteros, ipse quoque ridendus et maxime; proprias enim carnes incredibili quodam studio fugere laborabat; nunc manus, nunc brachium, nunc alias partes applicans ori. Miseratus homines, causamque miseriæ seiscitatus a singulis, unam omnibus esse reperio, validissimam utique famem. Tunc vero macilentissimas eorum facies contemplatus recordabar prophetæ gementis miserabiliter et dicentis: Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Quid hæc vobis, inquit, prosunt? Non sunt naturales cibi, magis famem hæc provocant quam extinguunt. Panis namque animæ justitia est; et soli beati, qui esuriunt illam; quoniam ipsi saturabuntur. Nimirum ad imaginem Dei facta anima rationalis cæteris omnibus occupari potest, repleti omnino non potest, capacem Dei, quidquid minus est, non implebit. » Hæc Bernardus, qui hæc descriptione quid velit, non est difficile investigare. Mundum enim, qui hostis Christi est, vult esse esurientium hominum congregationem insatiabili fame temporalia et peritura bona appetentium et simul verorum honorum spiritualium et æternorum nausea laborantium. Nihil enim comedunt quod satiare eos possit, ac proinde omnes fame cruciantur et pereunt. Quos enim putas marinam masticare arenam, nisi avaros? Quos sulphureum haurire vaporem, nisi luxuriosos? Quosnam scintillas ex ardenti fornace excipere, nisi iracundos? Quos in alto collocatos auram attrahere, nisi superbos et ambitiosos? Quos denique proprias carnes fugere, nisi invidiosos, necnon etiam gula deditos? Atque hæc est infelix illa regio, in quam incidit filius prodigus, cum e paterna domo discessit, de qua Dominus, Luc. XV. ait: *Facta est autem fames valida in regione illa, et ipse cœpit egere. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant et nemo illi dabat.* De qua eadem regione intelligere possumus mystico sensu, quod in hodierno evangelio discipuli dixerunt Christo: *Unde istos quis poterit hic satu-*

*rare panibus in solitudine?* q. d. tam famelicos, qui jam triduo tolerant famem, quis hos in loco tam solitario et sterili queat saturare panibus? Similiter quis mundi amatores insatiabiles poterit saturare in mundi solitudine tam sterili? Sat scio tamen hanc doctrinam plurimos non capere, nec credere, quippe sibi persuadeant, nihil sibi defore ad satietatem, si, quæ desiderant mundi bona, habere possent. Quorum errorem hic ostendam.

I. Superbi, auram attrahunt et flabello in oimpellunt supra templi pinnaculum. Pinnaculum enim templi in quo etiam ipsum Dominum statuit Satanus, dignitatum excelsas designat sedes, in quibus constitutus ambitiosus et superbus auram vani honoris attrahit et sibimet violenter ingerit, dum varios modos quærit, quibus ampliores honores acquirat, hominibus placeat, famam suam et nomen celebret, etc. Honor vero iste, quid quæso nisi levis aura et tenuissimus quidam fumus, qui honoratum afflat? Si quid enim in honore boni ac solidi est, in honorante est, non in honorato. Unde de superbo dici potest id Ose. XII. *Ephraim pascitur ventum*, id est, pascitur vento. Valde ergo spiritualis sit necesse est, qui hoc pastu satiari potest: quemadmodum superbissimus ille medicus Menecrates, qui se Deum appellare et divinitatem affectare non erubuit; cui proinde Philippus Macedoniæ rex soli ad mensam editorem se paratam adhibito acerram et suffitum apposuit, velut deo scilicet, qui solo thure pascetur; reliquis cum rege splendide epulantibus et Jovem famelicum ridentibus: unde is postea indignabundus se proripuit, Ælian. I. XII. cap. LI. Sic merito sunt ridendi, qui diu noctuque cogitant et laborant, quomodo ad altiores gradus ascendant, quomodo hominibus placeant et mundo celebres fiant; cum inanis aura sit ejusmodi gloria et fama, quæ instar venti solum distendit et inflat, nequaquam vero implet. Hinc fit ut nullo gradu contentus sit ambitiosus. nullo honore et splendore superbus. Qui significat est conatur fieri dux; qui dux, ambitu supremum belli ducatum, etc. Sic et superbi in vestitu nullis vestium formis acquiescunt, sed novas in dies quærunt et excogitant. Maximo loco apud Assuerum erat Aman, secundus scilicet a rege. Convocavit hic ad se amicos suos et Zares uxorem suam et exposuit illis magnitudinem divitiarum suarum filiorumque turbam, et quanta cum gloria super omnes principes et servos suos rex elevasset. Interim tamen: *Et cum hæc omnia habeam*, inquit, *nihil me habere puto quamdiu videro Mardocheum Judæum sedentem ante fores regias*, (qui scilicet solus honorem ei non exhibebat) Esth. V. Ecce superbia

non satiatur, quandiu vel unus homo ei honorem non defert. Alexander M. cum totum pene orbem subegisset, ubi audivit a philosophis plures adhuc superesse mundos, illacrymasse dicitur, quod necdum uno esset potitus; Maxim. I. VIII. Cujus ambitionem secutus Julius Cæsar cum vidisset imaginem Alexandri juvenis, qui intra triginta tres annos, quibus vixit, tanta fecisset, ingemuit, quod ipse ea ætate, qua Alexander Asiam pene totam subegerat, nihil adhuc præclari agere cõpisset, Fulgos. I. VIII. Qui ipse nulla dignitate contentus fuit: postquam enim censuram adeptus est, cognomen patris patriæ (quod primus ante eum Cicero meruit) affectavit. Quo obtento statuum suam inter reges locare contendit: et hoc obtento sellam auream in curia posuit: ulterius progressus dictatoris perpetui nomen (quod ante eum nullus) obtinuit. Nec his contentus, eo arrogantia processit, ut singula verba sua pro singulis legibus haberi voluerit: tandemque cum omnia humanarum dignitatum fastigia superasset, etiam divinos sibi honores fieri voluit. Sed ad extremum ob hanc insolentiam a conspirantibus in eum plusquam sexaginta senatoribus confossus est tribus et viginti vulneribus. Atque ita verum est quod ait Ps. LXXIII. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper, id est, nullo gradu contenta est, sed semper ascensum querit, instar ignis videlicet. Sic enim Prov. XXX. Ignis nunquam dicit: Sufficit, quia semper sursum petit. Ad extremum tamen graviter impingit et cadit.*

Denique, licet quæsitum et optatum assequaris honoris gradum, adhuc tamen plurima tibi deerunt alia: veluti juvenus, sanitas, opes, amici, quies, forma corporis, uxor, filii, etc. sicut cum quis de hiemis rigore conquerens optat æstatem, in qua tamen invenit solis æstum. Quinetiam deceptos se animadvertunt, et prosperati deliciis curas, pericula, timores, insidias, labores et mille molestias in summis honoribus deprehendunt. Sunt enim imperia et dignitatum culmina instar illius aurei pomi, quod Fenella Kannetho regi Scotorum porrexit ita fabrefactum, ut quicumque id tetigisset, statim multis telis e pomo prosilientibus transfigeretur: quo et regem occidit, teste Cardano, l. XII. de rer. var. c. LVIII. Quidni hujusmodi ~~potum~~ dixerit aliquis pomum imperiale aureum, ~~in~~ curarum telis armatum? Quam multi enim imperatores eo confecti et enecti sunt? Unde illi duo imperatoris aulici apud S. August. in confess. l. VIII. c. VI. cum legere et suscipere cepissent vitam S. Antonii, prudenter sibi consuluerunt, dicente uno: « Die quæso te, omnibus istis laboribus nostris quo ambi-

mus pervenire? Quid quærimus? Cujus rei causa militamus? Majorne esse poterit spes nostra in palatio, quam ut amici imperatoris simus? Et ibi quid non fragile plenumque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? Et quamdiu istud erit? Amicus autem Dei si voluero, ecce nunc fio. » Sicque statuit mox servire Deo.

II. Avari masticant arenam maris, id est, aurum ambabus buceis, nec tamen inde satiantur magis quam si arenam ederent. Recte comparatur aurum arenæ, nam multis in locis arena maris fert aurum, ut et Tagi fluvii, etc. Avaritia vero facit ut aurum avaris non magis prosit et sitim extinguat quam arena, quia non audent id expendere ad usus necessarios et laudabiles. Quod exemplo Petrarcha illustrat, l. II. de remed. utrisque fort. c. XIV. Pater quidam filio, cui familiam tradiderat, tenacissimo, Romam abeunti, arcas nummorum custodes, (quas filius diligentissime observaverat) aperuit et pro nummis arenam substituit, indeque se et filios egregie vestivit, ad hæc in famulos fuit munificus, et quæcumque ad honestum usum familiæ erant necessaria comparavit, et multa denique in pauperes contulit. Rediens filius mirari cõpuit in domesticis vestium elegantiam, nihilque prius habuit quam explorare essetne de thesauro aliquid delibatum. Multo magis obstupuit et vociferari cõpuit, cum loculis arenam sensit suppositam. Accurrit pater rem gestam dissimulans et ait: Heu quid tibi est, fili mi? Quæ tantæ causa perturbationis? O pater, respondit ille, in domo tua amisi omnia. Et pater: Quomodo omnia? Nonne inflata cernis marsupia? Tum filius: Est tantum arena. Quam recte, subintulit pater, si ita res habet non est unde quereris, quia non plus tibi otiosa et putrescens pecunia proderat quam arena. Disce miser honeste uti rebus tuis, nec ita desipere quod experti sumus omnes, ut quo locupletior, eo fias sordidior. Justo Dei iudicio factum noveris quod experiris, et factum gaudeo ut damno tuo sapias et hæredem te habeam liberalitatis potius ceterarumque virtutum quam pecuniæ. Quando ergo avari non aliter possident aurum, quam arenam, constat eos aure non plus saturari posse, quam arenam, quia opibus suis non utuntur, jejulant ut parcant pecuniæ, etc. quomodo enim quis saturetur cibo, quem non comedit? Re qua non fruatur?

Deinde, appetitus avaritiæ est insatiabilis, et augmento pecuniæ augetur, quia: *Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit, veluti si oleum igni adjiciatur, non modo eum non extinguet, sed magis accendit.* Unde S. Chrysost. homil. XXI. in Matth. ait: « Quemadmodum

ignis addita materia magis effertur: sic pecuniarum cupiditas adjectione auri magis extollitur: » et hom. LXXVII. in Matth. de hac eadem re loquens ait: « Cur perforato aquam dolio ingeris? » Conformiter S. Gregor. Nysseno, in orat. funeb. de Placilla, dicenti: « Quid est pecuniæ studium? Annon vere dolium perforatum toto fundo profluens, cui si vel totum mare affundas, ea natura est, ut expleri non possit: quam rem significare mihi videtur dives ille, qui in mediis flammis siti æstuabat, ita ut vel guttam aquæ petiissè narretur. » Hæc Nyssen. Exemplum aliud in Dario, qui licet esset ditissimus, cum tamen in sepulcro Semiramidis legisset thesaurum ibi reconditum, sub hac inscriptione: « Quicumque rex pecuniis indigerit, patefacto hoc monumento, quod voluerit, accipiat, » tumulum aperuit, auro inhians: sed nihil aliud reperit, quam scripturam ejusmodi: « Nisi malus vir esses et nummis insatiabilis, cadaverium loculos non moveres. » Patet res exemplo plurimorum, qui licet opulenti sint, nihilominus ad extremum usque senium pecuniis inhiant, mercimonia exercent, nihil de morte ejusque præparatione instituenda solliciti. Imo in ipso mortis articulo, persuaderi nequeunt, ut aliquid elargiantur pro salute sua. Signum ergo est, eos nequaquam saturatos esse divitiis, sed adhuc esurire. Quod etiam David dixit Psal. XXXIII. *Divites egerunt et esurierunt, inquirentes autem Dominum, non minuentur omnino bono, in Hebr. habetur leones egerunt, etc. q. d. licet ut leones etiam aliena rapiant, non tamen satiabuntur, sed esurient.* Ratio, quia hominum appetitus est appetitus leonum et quodammodo insatiabilis, quia infinitus. Soli ergo, qui Dominum quærent, utpote infinitum bonum, satiari possunt. Unde avari quantumvis abundant et lucrentur, semper conqueruntur et dolent de expensis. Quemadmodum Florentinus quidam nobilis tota vita avarissimus, qui moriens dixit: *O me miserum, quantas pecunias consumpsi in hac mea ægritudine.* Annon merito huic dici potuisset: *Stulte, jam repetent a te animam: et quæ parasti cujus erunt?* Ad hæc pecuniæ non ingrediuntur locum famis nec applicantur appetitui: unde saturare eum nequeunt, sicut cum sitienti affunditur aqua in manus, non inde sitis extinguitur. M. Crasso avarissimo et Parthorum opibus inhiant, capto et occiso Parthi aurum liquefactum, infuderunt dicentes: *Aurum sitiisti, aurum bibe,* apud Maiol. tom. IV. canic. coll. IV. Tunc ergo satiabantur demum avari, cum aurum liquefactum bibent in inferno.

Denique, licet opibus affluat et contentus sit avarus, aliis tamen plurimis rebus eget, earum-

que siti premitur, quas opibus comparare sibi nequit. Nequit enim vitam sibi prorogare, sanitatem emere, bonum nomen comparare, sed potius male audit, tamquam servus opum suarum, multo minus iis colum sibi amet, nisi eroget in pauperes. Sic Clotario regi Franciæ, decumbenti ad mortem, prolatus in conspectum thesaurus non potuit vitam vel ad horam prorogare, ut alibi diximus.

III. Luxuriosi foetidissimum vaporem hauriunt e sulphureo lacu; quid enim illud, quo aluntur et delectantur, nisi fetor et turpitudine, quæ ab omnium oculis ipsaque solis luce absconditur et ab ore pudico nec nominari fas est? Hic nimirum cibus designatur, secundum Euthymium, per siliquas illas porcis projectas, quibus saturari cupiebat prodigus, Luc. XV. voluptates scilicet, ejusmodi enim decebat illum cibus, quali prius fruebatur voluptate. Dissipavit autem substantiam suam cum meretricibus; merito igitur postea esurit porcorum cibus. *Siliquæ, inquit Euthymius, ad breve spatium gustui dulcescunt; deinde ut plurimum constringunt.* Secundum Ambrosium super Luc. folliculi sunt leguminum, intus inanes, foris molles, quibus venter non satiatur sed impletur et gravatur. Et tales omnino sunt spurcæ voluptates, foris quidem blandæ, intus vero vacuæ et quæ appetitum non satiant, sed accendunt: et licet ad breve spatium delectent, postea tamen cruciant. Hinc Cicero, l. VI. de rep. ait: *Graves dominæ, cogitationum libidines, infinita quædam cogunt atque imperant, quæ expleri atque exsaturari nullo modo possunt.* Pater exemplo Sardanapali Assiriorum regis, qui inter pellices et scorta feminam mentitus, purpuram colo nevit et pensam puellis partitus fuit, ut scribit Fulgos. l. IX. c. 1. Ita nimirum inexplebili æstuabat siti, ut se ad tam indigna abjecerit. Unde usu et exercitio turpium actuum, aspectuum, verborum et cogitationum, non modo non satiatur, verum accenditur magis ignis concupiscentiæ. Impletur quidem venter siliquis, non tamen satiatur: sic libidinosus enervatur quidem et viribus fornicandi tandem destituitur, non tamen desiderio et siti. Unde Hieron. in Oseæ c. IV. ait: *Vires in fornicatione deficiunt, et fornicandi desiderium non quiescit.* Salomon certe cum haberet initio unam vel paucas uxores, postea quasi reginas septemcentas concubinas, trecentas habuit: similiter multi alii reges, ut Dagobertus Franciæ rex, qui plurimas habuit concubinas, quia nullis satiabatur.

Denique, sicut prodigus cupiebat implere ventrem suum siliquis, quantumvis inanibus, nemo tamen dabat; sic etiam voluptuarius raro assequitur, quod desiderat, et mille modis et

artibus quærit. Non enim obtinet, quas concupiscit mulierculas, nec earum colloquium, aspectum, voluntatem semper; quamvis ista perpetuo meditetur et quærat. Quare de illis optime dici potest id Psal. LVIII. *Famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem.* Ut enim canes famelici in civitate et extra undique circumeunt et ossa ac cadavera quærent, ea tamen raro nec sine verberibus assequuntur: ita et libidinosi undique oculos circumferunt et pedes, quærentque sordes fami suæ: interim sæpe in vanum discurrunt et plerumque repulsam patiuntur, vix tandem abjectissimo quopiam seorto potiuntur. Atque ita Tantali plagam experiuntur, cujus os fugiebant aquæ et poma, cum ea apprehendere conabatur.

IV. Iracundi scintillas ex ardenti hauriunt fornace, cum ira æstuant et vindictæ appetitu. Ipsi enim ex inflammato corde velut ignea fornace flammam quodammodo emittunt, iracundiæ, blasphemiarum, contumeliarum, verberum, cædis, etc. iisdemque quasi pabulo sitim extinguere suam conantur, sed frustra; quomodo enim tu curabis vulnus tuum, quod ab inimico accepisti, infligendo ei aliud vulnus? Quomodo contumeliam acceptam, obijciendo ei vicissim contumeliam? Quomodo damnum agri tui resarcies, vastando alterius agrum? Certe si fueris ab aliquo mutilatus, sempermutillus eris sive eundem tu quoque mutiles, sive non.

Denique, vel vulnerabis vel vulneraberis, damnum dabis vel accipies, occides vel occideris. Si primum, jam te reum constituit et gladium vindictæ capiti tuo imminem perpetuo cernes: si secundum, quomodo sitim tuam extinxisti, qui occidere vel vulnerare parabas, et ipse occisus vel vulneratus es.

Denique, vindictæ cupidi, perpetuo sanguinem sitiunt et inimicos ad ultionem quærent, instar basilisci, qui læsus vel venenum alicui immittit, vel præ rabie exanimatur, teste Pierio, l. XIV. Unde non nisi vel hostili, vel proprio sanguine satiari potest aut vult. Quare Scytharum regina Tomyris devicto Cyro, qui regni Scythici cupiditate contra eam moverat exercitum et magnam cladem fecerat, caput auferri et in utrem sanguine plenum immitti mandavit dicens: *Satiare sanguine quem sitisti*, Guido, exempl. l.

V. Invidi propria depascunt membra, quia cum aspiciunt aliorum bona et prosperitates, inde tabescunt et seipsos conficiunt. *Sicut arugo ferrum*, ait S. Augustinus, serm. LXXXIII. de temp. ita invidia ipsam animam in qua est, interimit et consumit: et ut Sapiens ait Ecclesiast. IV. *Stultus comedit carnes suas.* Invidus videlicet, ut exponit Thaumaturgus, qui, ut idem

ait, nihil aliud habet quam quod animam suam exest et dissecat, simulque cum corpore absomit. Ratio est, quia invidus tantum eget, quantum alius abundat, et licet alter egeat, non ideo tamen abundat ipse, atque ita perpetuo famelicus manet. Porro invidus semper existimat alios abundare, se vero egere, juxta versum illum tritum: *Fertilior seges est alieno semper in agro, vicinumque pecus grandius uber habet*: unde sequitur, invidum semper egere et famescere.

Rursum invidus, si quando optata frui delectatione et saturatur, non aliter saturatur aut delectatur, nisi quia alius eget vel patitur. Qualis autem ista saturitas, quæ ex aliena egestate paratur? Qualis illa delectatio, quæ ex aliena tristitia? Num cæcus invidens videnti, visum accipiet vel oculos videntis, si ei eruantur?

VI. Cæterum carnes etiam suas devorant gulosi et ebriosi. Cibi enim et potus nimia et frequenti ingurgitatione, stomachum cruditatibus replent, unde morbi generantur; hepar incendunt, unde perpetua siti æstuant et quasi languente phthisi consumuntur. Et quemadmodum polypus flagellum suum, teste Pierio, lib. XXVIII. hierogl. sic hi vires et vitam propriam truncant: unde M. Tullius, pro Cælio ait: *Vitium ventris et gutturis non solum minuit ætatem hominibus, sed etiam aufert.* Qui vero dicat istos satiari? Comedunt ut vomant, vomunt ut comedant, atque ita in circuitu ambulant, sicut helluo animal voracissimum, quod ubi inserit ventrem, inter angustias duarum arborum subintrans constringit ventrem ut rursum comedere possit, teste Pererio in Genesin. Ventris ergo capacitas eos deficit, non cupiditas. Ut enim rota quæ ex una parte aquam vehit, ex altera rursum mox effundit, nunquam consistit, sed mox iterum aquam haurit: sic venter illorum, quia quod accepit, mox digerit et ejicit: vel ut terra non satiatur aqua, (quod ait Sapiens, Prover. XXX.) sic etiam gulosus, quia mox iterum arescit. Tametsi enim sæpius inebrietur, non tamen id assequitur quod intendit, delectationem scilicet et satietatem; pro delectatione molestiam et dolorem corpori adducit; pro saturitate novam et ardentior sitim. Unde medicus quidam de ebrioso nobili mortuo dicebat: Eum nimia fame et siti enectum esse, eo quod nunquam visus sit adeo esitasse ac potasse, quin plus esuriret ac sitiret. Igitur sicut aqua marina potata, non extinguit sitim, sed accendit; sic ebrietatis studium: unde Prov. XXIII. dicit ebrius: *Quando evigilabo, et rursus vina reperiam?* Audi et Senecam, epist. LXXXIII. « Vidisti aliquando canem, immissa a domino frusta panis aut carnis, aperto ore captantem?

Quidquid excipit, protinus integrum devorat et semper ad spem futuri hiat. Idem evenit nobis, quidquid expectantibus fortuna projicit, id sine ulla voluptate dimittimus, statim ad rapinam alterius erecti. » Sic ille. Inde optarat sibi Philoxenus ille eollum instar gruis longum, quo diutius cibi et potus suavitate posset persentiscere, Textor in offic. Et Georgius Clarentiæ comes ab Eduardo IV. Angliæ regi ob suspicionem affectati regni, mortem eligere jussus, in vini Malvatici dolio mergi voluit, ex critice christiana de ritu bib. super san. princ. l. 4. Anguntur etiam isti et dolent, dum cogitant interim tempus elabi inter æquandum, moxque finem deliciarum fore. Quo adventante invitii surgunt, ægre separantur: et quid inde referunt? Somnium putant fuisse suum convivium et lætitiarum. Tandem dives ille epulo, sitim quam vivens habebat, ad infernum usque secum detulit, ut ibidem etiam sitiret in flamma, et ob id vel aquæ guttulam peteret, qui in hac vita epulabatur quotidie splendide. Quæ cum ita sint, quis non detestetur mundi mensam et convivia, quæ famem non pellunt, sed afferunt et augent? Vere non: *Saturatur oculus visu, nec auris auditu*, ait Eccles. 1. Sic nec animus hominis pietatis et umbraticis mundi epulis. Et Dominus, Joann. IV. *Omnis qui biberit ex hac aqua sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Quare ergo appenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate? ait Isaias, cap. LV. Qui vos ita fascinavit ut tam dura servitia mundo exhibeatis, qui tamen inedia vos affligit et nunquam satiat? Quare non pro mundi panibus quæritis panem cœlestem? Et miramur adhuc si Deus flagellare nos non cesset, cum nos perpetua et insatiabili siti appetamus noxia et illicita? Quæramus ergo panem cœlestem, quæramus justitiam et virtutes, quæramus Deum, qui solus non satiari potest, juxta id Psalm. XVI. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Ibi dumtaxat est aqua illa, quæ extinguit sitim: ibi invenitur *Bersabee*, id est, puteus saturitatis, Genes. XXVI.

## CONCIO VI.

PAUPERES INSTRUUNTUR.

I. Sint patientes. — II. Sint cum Jesu probi. — III. Sint laboriosi. — IV. Confidant in Deo. — V. Sint humiles. — VI. Sint contenti iis quæ dantur. — VII. Sint grati Deo et benefactoribus.

## THEMA.

*Ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent.* Marc. VIII.

Cogitanti mihi pauperum calamitatem et

penuriam tria in mentem veniunt. De primo nullus dubito, de secundo bene spero, de tertio valde dubito. Primo, nullus dubito, quin Deus et Dominus noster de cœlo intueatur eorum calamitatem et tantam undique esurientium turbam cum commiseratione, dicatque rursum: *Misereor super turbam.* Secundo, bene spero, tandem aperturum eum manum suam, et impleturum omne animal sua benedictione, ut dicere possimus: *Comoderunt et saturati sunt.* De tertio, vero dubito, utrum talem esse exhibeant, ut digni sint divina beneficentia. In hodierno evangelio porrexerunt aliqui Christo septem panes et ille pro iis reddidit aliquot millia. Ergo si etiam pauperes illi offerent Deo septem panes, spirituales saltem, centuplum utique reciperent: quinam vero sint isti panes audiemus.

I. Sint patientes. Hebræi in evangelio triduo sustinuerunt Dominum concionantem, cum interim tamen scirent se non habere, quod manducarent. Nimirum: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei.* Vultin o pauperes, ejusmodi verba audire, quæ famem sedare queant? Audite pauca primum: *Recordare paupertatis et transgressionis* (persecutionis) *meæ absinthii et fellis*, Jerem. III. Habetis magnum ducem vestræ paupertatis, Christum Dei Filium, qui pauper esse voluit, et ideo discipulo cuidam sequi se volenti, dixit: *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Sed neque domum propriam habuit, qui in aliena comedit agnum paschalem. Non es Christo pauperior, cui pro lecto crux, pro cibo fel, pro potu acetum, pro cupediis probra, pro amictu nuditas, pro domo communis aer fuit. *Æneas* princeps, ubi audivit Alcidem pro Deo habitum, non horruisse ingredi miserum Evandri hospitium, mox eo ipse quoque pedem intulit (Virg. l. VIII. *Æn.*) quanto magis te decet Christi veri Dei viam sequi, et cum eo paupertatem libenter pati? Ingredi post eum in stabulum et crucem, quæ præsse eum vides. Deinde, multos ac magnos habetis socios et vestræ congregationis fratres, Petrum aliosque Christi apostolos. Audi claudio dicentem: *Argentum et aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jesu Christi Nazareni surge et ambula*, Actor. III. Audi Paulum: *Usque enim in hanc horam esurimus et sitimus et nudi sumus*, 1. Cor. IV. Horum tempore paupertatem coluerunt primi Christiani, qui bonis se abdicarunt, et de commun' vixerunt. Post hos alii Christiani sub Constantino Magno quorum incentor erat S. Antonius. Tum S. Hieronymi tempore multi alii et imprimis nobiles Romani, qui pauperem Christum secuti ad præsepe ejus se contulerunt.